DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VERMIBUS INTESTINORUM.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
VERMIBUS INTESTINORUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS CLARKE,

HIBERNUS,

A. B. TRIN. COL. DUB.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

Κυλιω καγω τον πιθον, ὼς μη μονος αργειν δοκοιην εν τοσυτοις εργαζομενοις.

LUCIAN.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.

VIRO EXIMIO,

GULIELMO WRIGHT, M. D.

SOCIET. REG. LOND. ET EDIN. SOCIO,

ET

COLL. REG. MED. EDIN. VICE-PRÆSIDI;

IN EXERCITU BRITANNICO

MEDICO SPECTATISSIMO;

HOC TENTAMEN,

HONORUM EJUS PERENNIUM

MONUMENTUM QUAM FRAGILE,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VERMIBUS INTESTINORUM.

VERMIUM varietates quæ, corpori humano indigenæ, intestinalem canalem præcipuè infestant, ad species quinque plerumque reducuntur; nempè, *Ascaridem vermicularem*, *Ascaridem lumbricoidem*, *Trichuridem vulgarem* sive *Ascaridem trichuriam* celeberrimi WERNERI, *Tæniam solium*, et postremò *Tæniam latam*. De *Tænia hydatigena*, specie alia vermium quæ in cavitatibus hydropicis inter-

dum deprehenditur, hîc nobis silere liceat. Hæ plerumque in intestinis humanis nidulari gaudent, sed hosce limites aliquando prætergrediuntur. Totum tubi intestinalis tractum, ab intestini recti extremitate usque ad fauces, aliquandiu permeant, et quacunque porta patet, invadunt. Hinc in vesiculâ fellis, in hepate, ductuque eorum communi, in utero, vesicâ urinariâ et renibus, in sinubus frontalibus, naribusque, non raro inventæ sunt; nec exempla desunt, quum in pericardium et lienem migrâsse videantur.

An tales inimici internam originem habuerint, extrinsecùsve enati in arcem vitæ humanæ clanculùm delapsi fuerint, inter rerum naturalium indagatores uberrimus discordiæ fons est. Tantas lites componere, conatibus nostris exiguis non permittitur. At meâ quidem sententiâ, nebula erroris eos circumvolat, qui hanc illamve opinionem implicitè sequuntur. Via forsitan salutis, per medium cursum extenditur.

De uniuscujusque vermis propriâ naturâ, nunc breviter nobis dicendum est.

Vermes humanorum intestinorum inquilini, in *duos ordines* ab ingenioso Dre HOOPER * dividuntur, ROTUNDUM et PLANUM. Ordini primo *duo genera* referunt, *ASCARIDES* et *TRICHURIA*. Character genericus *ASCARIDIS* est, *Caput obtusum, tribus lobis instructum*. *TRICHURIÆ* autem, *Cauda longitudinem corporis triplicem æquans, et caput sine vesiculis.*

Ordo secundus *TÆNIAM* includit, cujus character genericus est, *Corpus planum articulatum.*

Species 1.—*ASCARIS VERMICULARIS.*

Plerique hanc speciem vermium intestina humana frequenter colere inter sese consentiunt. Sed

---

* "Memoirs of the Medical Society of London," vol. v.

Sed WERNERI auctoritas tali sententiæ multùm obstare videtur. "Rariores quidem apud "nos," inquit, "et sæpè sæpiùs cum lum-"bricellis sive ascaridis lumbricoidis pro-"genie commutantur. Quare nisi internam "teretium vermium structuram oculo arma-"to disquisiveris, sæpiùs ob symptomatum "similitudinem lumbricellos pro veris asca-"ridibus habebis *." Procul a nobis absit ut talis hominis observantiam accuratam floccipenderemus; at apud nos saltem certum est, nullius speciei vermium præsentiam clariùs et frequentiùs confirmari.

Ascaris vermicularis latitudine vix tertiam lineæ partem, longitudine autem quatuor seu quinque lineas integras, attingere solet. Superficies ejus annularis est; anterior extremitas obtusior, posterior mucronata simulque pellucida. Caput trilobum †, et mediâ rimâ divisum

---

* Pag. 72.

† Bilobum secundum WERNER; at Dr HOOPER tres lobos seu papulas detexit.

divisum microscopio conspicitur, quæ rima haud dubiè animalculi os est. Crassescit deinde corpus pedetentim usque, ad tertiam longitudinis partem, a quo caudam versus gracilescit. Color flavescens potiùs adscititius est, et post macerationem evanescit. Ab ore tenuis canalis procedit, qui œsophagus esse videtur. Sensim amplior factus paullò pòst priorem tenuitatem recuperat. An sexûs diversi seu hermaphroditi sint, ob dimensiones minutas animalculi, non satis a WERNERO observari potuit *. At cura felicior Dris HOOPER eos generis illius esse, tandem determinavit. Hi sedes suas in intestino recto, plerumque habent, unde interdum migrantes uterum, vaginam vel vesicam urinæ ineunt, et propter sensibilitatem extremam quâ partes tales præditæ sunt, totum systema gravissimè irritant.

Quidam, animalcula in caseo degentia, pro ascaridibus vermicularibus habuerunt. Historia cujusdem ægri ab Cl. VAN SWIETEN memoratur,

* Pag. 74.

moratur, qui postquam caseum degustâsset, hæc unà cum fæcibus, secundum circiter diem, excernere solebat *. Inter hæc animalia autem et ascarides vermiculares, quàm certissimè datur discrimen; quoniam illi formam mutant, hi nunquam †.

Species 2.—*Ascaris lumbricoides.*

Hujusce vermis corpus rotundum, et ad utramque extremitatem mucronatum est. Superficies ejus rugosa, annulata, quatuor lineis per totam corporis longitudinem decurrentibus instruitur. Harum una superior, alia inferior est; reliquæ duæ ad utrumque latus extendunt. Annuli peripheriam vermis non emetiuntur, sed circulorum segmenta potiùs fiunt, quorum extremitates in lineis prædictis terminant. Hâc constructione musculari non

* Comment. in Aphorism. 1359.

† Amœnit. Academ. vol. ii. p. 72.

non modo motus animalis peristalticus perfici videtur, sed etiam cursu serpentino ascaris lumbricoides fruitur, qui lumbrico terrestri negatur. Color ejus aut albidus est, aut pallidè rubescit. Caput trilobum est, quod triangulari ore instruitur. In lumbrico terrestri, os fissuram esse longitudinalem, in inferiore superficie capitis conglobati discernimus. Longitudo ascaridis lumbricoidis, crassitie pennam anserinam ferè exæquantis duodecim pollicibus raró major est. Quum sectio corporis benè instituatur, duplicis generis viscera in utroque sexu apparent, quorum unum nutritioni, alterum generationi, inservit. In mare, quatuor seu quinque linearum distantiâ ab cauda, canalis sursum conicèque extendit, qui ab Tysone *penis* appellatur. Vagina fœminæ caput juxta in ea linea abdominali deprehenditur, de quâ suprà dictum fuit. In utrâque viscerum serie, ascaris lumbricoides a lumbrico terrestri multùm differt. In illo canalis alimentarius simplex et directus, in hoc convolutus, conspicitur. Anus ascaridis lumbricoidis, in inferiori corporis superficie,

cie, juxta extremitatem, situs est; at lumbrici terrestris in ipsâ extremitate. Lumbricorum terrestrium quisque hermaphroditus est; at ascaris lumbricoides seu mas sive fœmina habetur *. Corpus præthereà vermis terrestris ligamine lato seu ephippio eminente circumdatur, quod in ascaride lumbricoide nusquam inveniendum est. Postremò, in inferiore lumbrici terrestris superficie sunt quasi pediculi, qui vim movendi magnoperè opitulantur; hi in ascaride lumbricoide prorsùs desunt.

Intestina tenuiora domicilium ascaridi lumbricoidi plerumque præbent, at non rarò in ventriculo et intestinis amplioribus cadaverum detegitur. In aliis quoque visceribus, veluti pulmonibus, hepate, renibus, liene, pancreateque, nonnunquam reperitur. Nec corpori humano soli proprius est; nam in canibus,

---

* Dr Monro Jun., plurimis observationibus invenit, fœminas numero exsuperare mares, in ratione decem ad unum. Audi prælectiones ejus.

bus, equis, lupis, et tigridibus, per dissectiones observatur.

Species 3.—*Ascaris* TRICHURIA.

SYN. *Trichuris vulgaris.*
Trichuris tricocephalus.

Hæc vermium species perrarò invenitur. Inter plurimos verminosos, ope anthelminticarum ferè innumerarum, unum eliminari WERNER nunquam percipere potuit *. Tandem in cadaveribus hosce vermes deprehendit, quos vivi denegabant. In tubo intestinali eos stabulantes semper animadvertit. "Imitantur "autem," inquit, "nostræ trichurides con-"stanti corporis flexione spiralem lineam. "Corpus ubi latissimum est diametro dimi-"diam lineam, longitudine verò unum et "quadrantem pollicem complet; posterior "pars, sive tenuissima, semper singulari mo-"do reclinat; capilli æmula cauda duos et "dimidium pollicem longa est. Antica cras-

B "sa

* Pag. 84.

" sa pars, sive in hamum desinens, caput pro-
" boscidem emittit, quæ tenui filamento ex-
" surgens in fine latiori atque obtusiori mar-
" gine coronata est, ita ut figura sua liliaceo-
" rum florum pistillum eleganter referat, præ-
" primis cùm ejus summa superficies ubique
" hirsuta sit.

" Corpus in spiram contortum semper de-
" prehenditur, quæ proprietas cum probos-
" cide huic rotundorum vermium speciei pro-
" pria esse solet. Internorum viscerum fa-
" brica cum ea ascaridum vermicularum, si-
" militudinem habere videtur. Nempè, a
" parte hamata, sive proboscidis tumente mar-
" gine, per mediam proboscidem obscuriori
" colore tinctus canalis currit, qui totam ani-
" malis convexam longitudinem emensus, in
" corporis extrema applanata parte, in con-
" cavo nigro puncto insignito margine fini-
" tur. Hunc medium sive inferiorem tubum,
" albo colore tincta, atque per cutem tran-
" sparentia vascula involvunt, quæ quadra-
" ticis ovulis repleta spermatica vasa sunt.
" Ab hoc nigro puncto proserpit deinceps,

" constanti

"constanti flexurâ, tenuissima filamentosa "rotunda cauda, quæ acutissimâ fine termi- "natur *."

Talis est descriptio concinna WERNERI. De sexu autem *Ascaridis trichuridis*, propter organorum generationi inservientium parvitatem, et ad putredinem eorum proclivitatem, non prædicare autumat.

Species 4.—*TÆNIA SOLIUM.*

Tæniæ character genericus, ut suprà dictum fuit, est *Corpus planum, articulatum.*

Tænia solium, una specierum duarum de quibus adhuc dicendum restat, longitudine incerta est. BOERHAAVIUS, tam fidei dignus quàm illustris, unam memorat quæ longitudinem abnormem ulnarum trecentarum æquavit †. HAERTSOEKERUS et TULPIUS aliam octoginta ulnas longam se vidisse testantur. At

* Pag. 85.

† Prælection. pathol. § 792.

At verisimile est, ut WERNERUS observat, quòd eæ partes quas illi optimi viri tanquam uni tæniæ proprias computârunt, a plurimis in eodem homine habitantibus tæniis decesserint. Longissima tænia quam ex tam plurimis vidit, novem Lipsienses ulnas non excedebat. Articulorum numerus indeterminatus est, singuli plani, quadrangulares, latiores plerumque quàm longi, et in medio longitudinem pollicis non raro æquantes, inveniuntur. Ad utrasque tæniæ extremitates minores sunt, mediam versus paulatim augescunt. Articulus parvus, parabolicus, imperforatus, agmen claudit. Cuique articulo suum osculum seu tentaculum est, modò non semper solitarium, in medio margine internodii subtùs ferè situm. Hæc plerumque alternis vicibus succedunt, interdum per tres continuos articulos, rarissimè per quatuor aut quinque, eidem lateri adhærent. Duplici usui inservire videntur, vel ad articulum figendum intestini proximæ parti, vel ad ovula emittenda. Quisque articulus hermaphroditus est, et duos tubulos habet, alterum virilem, unum fœmineum. Hi prope osculum communem, duc-

tum

tum formant; quo ovula emittuntur; at in parte interiori divaricant. Tubulum fœmineum cum vasis internis communicare credit WERNERUS, at non CARLISLE * reiteratis injectionibus adjudicans. Speciei propagatio non ovulis solis committitur. Quisque articulus in seipso pullulandi, et ad animal perfectum crescendi, potestatem habet †. Caput *Tæniæ solii* quadrangulare est, cujus os ad fluida absorbenda accommodatur. In quoque angulo foveam, os circum, radios longitudinales percipimus, quæ officio tentaculorum fungi videntur. Os brevi ductu in canales duos longitudinales continuatur, qui per alios duos transversos, quemque articulum circumeunt nutriuntque. Præter hæc vasa, seriem alteram internam vasculorum quasi bipectinatorum videmus, quorum extremitates cum vasis prædictis anastomoses formant.

Species 5.—

* CARLISLE on the Structure of the Tænia. *Linnæan Trans.* vol. ii.

† Vide CARLISLE, ut suprà. Dr HOOPER articulum capitis hâc potestate solùm frui existimat.

Species 5.—*Tænia lata*.

Habitus hujusce vermis a specie præcedente haud longè differt. Planus colorisque albescentis est; articuli verò breviores sunt, et oscula in *mediâ* superficie cujusque articuli collocantur. Tota ejus compages crassior magisque membranacea est; canales alimentarii tantùm longitudinaliter tendunt, et vascula interna non bipectinata sed stellaria sunt. Obtusiore aliquo, et quasi præmorso, articulo terminatur.

Motus tæniæ in directum undulatoriè tendit, quod ex ejus structura planè pendet: Nam sub cuticulo stratum fibrarum muscularium, ab articulo usque ad articulum longitudinaliter extensum, videmus. Sedes ejus semper intestinis tenuioribus sita est.

Inter hujusce insulæ incolas *Tænia lata* rarissimè deprehenditur; at in Germaniâ, Russia,

sia, et præsertim in Belgio, endemica esse videtur.

Signis evidentioribus sic enumeratis, quæ quemque vermium speciem discriminant, imperfectis equidem sed quæ limites hujusce opusculi augeri negant, ad partem reliquam nostri conatûs transire liceat.

Inter causas vermium prædisponentes hæc omnia locum habent quæ digestioni parùm apta, alimentarii canalis functiones deturbant. Talia sunt fructus immaturi, olera cruda, pultes, aliaque vegetabilia dyspepsiam excitentia; usus sacchari confectionumque abnormis; ac etiam lactis vaccini incocti. Istæc propagationi vermium favere propter vires digestionis illæsas, ab omnibus conceditur; etsi plurimi ullam vim habere ad nidum vermium mucosum formandum negant; sed perperàm, ut puto. Ætatem quoque et cœli tem-

periem

periem homines vermibus obnoxiores reddere videmus. Sic impuberes potiùs quàm adulti, et incolæ calidarum humidarumque regionum vel oppidorum, magis quàm ii locis salubrioribus fruentes, aggrediuntur. Cuique ætati etiam sua vermium species est. In impuberibus Ascaris, in adultis Tænia plerumque latet. Quinetiam aquæ impuræ paludum usus, causa præcipua est, ut morbi verminosi epidemici inter eos talem aquam propinantes planè demonstrant. Postremò causis prædictis inertiam, occupationes sedentarias, dispositionem hæreditariam, et corporis imbecillitatem, nos subjungere oportet.

SIGNA VERMIUM.

Vermium symptomata satis obscura et cum morbis aliis complicata sunt ; sequentia attamen minùs fallacia inventa sunt : Capitis *vagi* dolores ; vertigo et aurium tinnitus ; faciei pallor ; suffusiones hecticæ, subitò alternantes ; oculorum hebetudo, seu color plumbeus, livido

livido quasi annulo orbitas complectente; *pupillarum dilatatio, unà cum tumore palpebræ inferioris, alarum nasi labiique superioris; narium plerumque humidarum pruritus, et frequens vellicatio, cum aperturarum diminutione;* (quæ signa jamdudum recensita à plerisque *pathognomonica* esse putantur;) epistaxis, fœtor acidus halitûs, dentium stridor, et salivæ fluxus nocte largior, die imminutus, sitis, cibi appetentia modò nulla, modò immanis; dyspnœa, tussi siccâ, interdum singultu, comitante. Inter frequentissima vermium symptomata, tussis a Clar. FRIEND enumeratur *. Hisce adde pulsum nunc frequentem et debilem, nunc durum vel intermittentem; dolorem lateris ad costas inferiores pungentem; ventriculi et abdominis dolores, cibo, vel pressurâ, vel humi circumvolutatione interdum sopitos; nauseam; vomitum; abdominis tumorem tensum et durum, præsertim post cibum sumptum; urinam aliàs lacteam, aliàs verò limpidam, non-

* Histor. Phys. vol. ii. p. 100.

nunquam cum difficultate redditam; alvum sæpiùs solutam, interdum strictam; tenesmum; pruriginem ani vespere; postremò, pellicularum et muci dejectiones.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hæc parùm obscura sunt; nam propter canalis intestinalis irritationem, vel consensum ejus eximium cum corporis aliis partibus, oriuntur.

Ut vermium sequelas, ob nimiam totius systematis irritationem, plurimos morbos recensere licet. Cordis palpitationes et circum præcordia anxietas, syncope, vigiliæ vel insomnia horrenda, convulsiones partiales, vel universales, epilepsia, chorea, tetanus, catalepsia, coma, mania, et aliquando volvulus, inter morbidos vermium effectus, summâ auctoritate, enumerantur.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Diagnosin nullam certam habemus, quâ judicari potest quæ vermium species in intestinis adsit; nam plures simul eundem aliquandiu infestant. Sed pruritus molestus circa anum, unà cum tenesmo et dejectionibus mucosis, præsentiam *ascaridis vermicularis* non obscurè notat; et quidem volutationis per canalem intestinalem sensus, macies gravior, et præcipuè articulorum excretio, *tæniam* vires suas exerentem planè indicant.

Dolendum est, quod pleraque vermium symptomata in aliis morbis quoque occurrunt. Inter eos quibus horum effectus proximam similitudinem habent, sunt Tabes mesenterica, Scrofula, et Hydrocephalus internus. Signis sequentibus sæpè dijudicare nobis conceditur.

In

In *Tabe mesenterica*, emaciatio usque ad ultimum stadium provehitur; scapulæ costæque insigniter eminent, et tumores glandium vestigiaque ulcerosa scrofulæ, cui tabes mesenterica affinis est, in partibus corporis diversis non rarò apparent. Prætereà, labii superioris alarumque nasi tumor, narium pruritus, et dentium stridor, tabei mesentericæ desunt. Hæcce ultima symptomata communia tam scrofulosis quàm verminosis agnoscimus: sed alia sunt, quæ diagnosin oculo parùm etiam observanti, clarissimè præbent.

Scrofulæ sedes in glandulis lymphaticis inhæret, quæ tumore et inflammatione afficiuntur; dolores ventriculi capitisque, dyspnœa et tussis sicca desunt; morbus insuper admodùm hæreditarius est, et eos temperamenti sanguinei potiùs aggreditur.

In *Hydrocephalo interno*, capitis dolor acutus atque indesinens est, occiput seu colli nucem plerumque obsidens, et exindè vagans. In stadio ejus primo, lucis intolerantia; in ultimo,

mo, strabismus et duplex rerum perceptio, plerumque adsunt. Pulsus in stadiis diversis multùm variat, initio citatus, deinde tardus, postremò velocissimus. Nares quoque, sine tumore labii superioris, alarumque nasi, arent. At ex naribus verminosorum fluidum acre destillat, quod labium superius alasque nasi irritat et tumere facit. In hydrocephalicis, cibi appetentiam ferè nullam, alvum pertinaciter adstrictam, vomitus indomabiles, abdomen dolore vel tumore immune, plerumque invenimus; at in verminosis contrà fit. Hydrocephalici manus ad caput crebrò admovere, et inter ambulandum titubare non raro observantur; at hisce signis verminosi parùm obnoxii sunt.

Ritè mihi culpæ objiceretur si ejus viri observationes in silentio prætermisissem, cujus nomen cum iis Jennerii et Curreii, philosophiæ, medicinæ et humanitati carissimis, in grata memoria retineri vellem. Doctoris Hamilton experientia docuit, omnia vermium signa in eo morbo occurrere quem vocat *Marasmum.*

rasmum *. Ejus verba sunt: " A sluggish-
" ness, lassitude on slight exertion, depra-
" vity and loss of appetite, wasting of the
" muscular flesh, fulness of the features, and
" paleness of the countenance, swelling of
" the abdomen, an irregular and generally a
" costive state of the bowels, a change in the
" colour and odour of the feces, fetid breath,
" swelling of the upper lip and itching of the
" nose, mark the beginning of the disease.—
" When these symptoms have continued
" for some time, they are followed by alter-
" nate paleness and flushing of the counte-
" nance, heat and dryness of the skin, feeble
" and quick pulse, thirst, fretfulness, increa-
" sing debility and disturbed sleep, during
" which the patients grind or gnash their
" teeth, and are subject to involuntary start-
" ing and twitching of different muscles."

Inter

---

* Vide " *Observations on Purgative Medicines*," pag. 48, 49. edit. prim.

Inter morbum signis tam variis constipatum et vermium effectus, ni vermium ipsorum excretione dijudicare (ut mea vineta cædam) prorsùs nescio. At judicio D[ris] HAMILTON, vermium præsentia, in infantibus præsertim, hisce morbidis symptomatibus quæ vulgò attribuuntur, non comitatur. "When I consider," inquit ille, "the languor and lassitude which precede this marasmus, when I recollect the constitutional or acquired debility of those who are more particularly exposed to be affected by it, instead of adopting the common opinion of its being occasioned by worms, I am more disposed to think, that a torpid state or weakened action of the alimentary canal, is the immediate cause of the disease *." Talia inter judicia si meum subjungere liceat, dum in morbis utrisque ratio medendi parùm differt, discrimen eorum levis momenti esse reputo.

Tanto

* "*Observations*," &c. pag. 54.

Tanto sæpè impetu ingruunt insultus verminosi, sensationes feriantes, ut pro Apoplexia vera habeantur, si ad pulsum contractum, et extremorum refrigerationem animum non advertimus, quæ veræ causæ suspicionem movent; sed difficiliùs distinguuntur vermium accessiones convulsivæ infantibus familiares ab Epilepsia, ni a benè perspecta morbi historia expiscetur ejus indoles.

PROGNOSIS.

Quoad prognosin, e jam traditis obvium fit, grave quandoque periculum eos vermibus subditos imminere, ob paralysin scilicet, maniam, convulsiones, epilepsiam, ileum, aliaque atrociora symptomata quæ accidere queunt. Rationem quoque discriminis vermium species, tam symptomatùm violentia aptè ostendunt. Periculo vacant ascarides vermiculares, qui nisi nimiùm despecti, molestam duntaxat sensationem in podice concitant. Impunè autem lacessentes,

lacessentes, intestini recti ulcera nonnunquam formant. Ascarides lumbricoides etiam prognosin faustam potiùs quàm tænia pollicetur; quamvis hæc in intestinis aliquandiu hospes innoxia latet. At si sanguis, vel latex subater et fœtidus, in dejectionibus appareat, aut ore evomatur; si propter materiem excretam togas intestinorum exulceratas et abrasas esse, nobis conjicere liceat; talia symptomata carbone notanda sunt.

RATIO MEDENDI.

Illum qui hunc morbum curare aggreditur, duplex propositum habere oportet; 1mò, Vermes ex corpore eliminari; 2dò, Progerminationem eorum inhibere. In hisce duobus medendi consiliis, medici auxilium non æquè pollet. In priori, solertia ejus sæpiùs irrita erit; in postero, semper plurimùm efficere potest.

Ad vermes eliminandas, talia remedia utuntur quæ eos per ingravescentem tubi intestinalis motum, vel per vires proprias in vermes ipsos exertas, depellunt. In classe prima medicamentorum enumerantur ea, quæ motum peristalticum accelerant. Talia sunt purgativa acrida seu drastica; nempè pulvis radicis convolvuli jalapæ; gummi-resinæ convolvuli scammoniæ, et stalagmitis gambogiæ; fructus cucumis colocynthidis; decoctum radicis spigeliæ Marilandicæ, seu corticis geoffrææ inermis *, &c. Inter hæc recensenda sunt mercurialia, imprimis hydrargyri submurias; et forsitan

* In historia plantarum medicinalium Jamaicensium, summo ingenio et curâ indefessâ Doctoris Gulielmi Wright prolatâ, unde album medicaminum multùm ditatum fuit, quædam alia anthelmintica invenimus, pharmacopœiis nostris adhuc aliena. Inter plurima, succus foliorum Asclepiadis curassavicæ, ab uno drachmo usque ad unciam unam pro dosi ante jentaculum; succus etiam expressus radicis Epidendri claviculati, usque ad unciam dimidiam, pro dosi, laudes eximias obtinuerunt.—Vide *Lond. Medical Journal*, vol. viii.

forsitan murias sodæ, qui ab HEBERDEN, et nuperrimè a Doctore RUSH, magnis laudibus effertur. Formula ejus est:

℞. Muriat. sodæ ℥ij.
Coccinellæ ℈ij.
M. Fiat pulvis, cujus capiat æger drachmam dimidiam mane esuriens.

Classi secundæ talia medicamenta referuntur, quæ vires suas in vermes ipsos depromunt. Horum præcipua sunt ferri limaturæ vel carbonas, stannum pulverisatum, et pubes rigida leguminis dolichi prurientis. Mercurialia huic classi etiam pertinent, inter quæ submurias palmam longè evehit. Succos expressos vegetabilium quorundam acrium et amarorum, seu aloës perfoliatæ, allii sativi, polypodii filicis maris, ferulæ assæ fœtidæ, tanaceti vulgaris, artemisiæ absinthii, &c. hîc quoque referri volumus. Postremò camphoræ, sulphuris aquarumque hepaticarum, olei, electricitatis et injectionum aquæ frigidæ, cinchonæ extracti in aqua calcis soluti, infusi nicotianæ tabaci, &c. pollentia eò aptè ascribi potest.

Horum

Horum medicaminum combinationes præstantiores nobis enumerare restat. Submurias hydrargyri cum jalapa vel rheo, ab omnibus meritò concelebratur. Electuarium pulveris stanni partium sex, carbonatis ferri partis unius, conservæ rutæ partium quatuor, cujus scrupulus unus usque ad drachmam unam cum syrupi simplicis q. s., bis in dies sumendus est; vel pulvis florum tanaceti, seminum santonici, utriusque partium trium, sulphatis ferri partis unius compositus, cujus grana decem usque ad triginta pro dosi sumenda sunt, multos fautores habent. Mistura olei olivarum libræ dimidiæ, alcoholis ammoniati aromatici drachmarum duarum, cujus uncia una et dimidia bis in die pro dosi sumenda est, a Doctore Wall celebratur. Præter suam pollentiam aliud quoque commodum habet, ut largior ejus usus innocivus sit, quod de cæteris anthelminticis perrarò dici potest. Si mistura simplex ventriculo malè respondeat, cum aromaticis amaris vel oleis essentialibus eam conjungere oportebit. Nec doses rhei, aloës vel calomelanos simultaneæ ei parùm opitulantur.

tur. Polypodium filix mas diu pro viribus anthelminticis omne punctum tulit. At nostri seculi experientia honoribus ejus multùm decerpsit. Nuperrimè, tametsi cum sociis potentioribus (ut opinor) conjunctum, iterum auræ medicinalis captator apparuit *.

Hactenus remedia nostra contra tænias et lumbricos præcipuè diriguntur. Contra autem ascarides vermiculares, injectiones frequentes haud parùm valent. Duas melioris notæ formulas subjungam.

℞. Camphoræ drachmam unam,
Ol. olivarum uncias duas;
M.—Fiat enema, pro re nata usurpandum.

FOWLER.

℞. Aloës socotorinæ,
Ferulæ assæ fœtidæ, utriusque scrupulum unum: optimè terantur, et fiat massa cum saponis Hispan. scrupulo uno, quæ

in

---

* Vid. *Duncan's Dispensatory*, art. Polypodium filix mas.

in unciis sex aquæ fontanæ soluta pro enemate habenda est *.

Professor noster insuper addit, hocce enema ab iis alvi nimis irritabilis nunquam usurpandum esse. Si pars tantùm tæniæ ab ano dependeret, portio externa in tepido lacte submersa in pulvinar molle cautè circumvolvenda est; sic pars interna forsitan facillimè extra podicem allici potest. Vel si hac tempestate electricitatis auxilio frui liceret, percussum ad tæniæ superficiem applicando totius vermis interitus et extractio haud improbabile esse videntur.

Consilium medendi secundum, nempè vermium progerminationem inhibere, causarum prædisponentium evitationem et totius corporis valetudinem respicit. Hocce propositum quo meliùs efficiamus, regimen aptum imprimis notandum est. In aëre puro et aperto exercitatio

* Audi prælectiones Doct. Stokes, S. F. et P. T. C. D.

exercitatio tempestiva, balneum frigidum, vestitus calidus, munditiæ, aquæ puræ usus, quæ in oppidis percolatione sæpiùs eget, diæta nutriens, lenis tamen et concoctu facilis ; hæc omnia adeò necessaria sunt. Paullulum quod interpositioni medicorum insuper restat, usu tonicorum, amarorum, et eccoproticorum protinùs perficitur.

FINIS.